

Die Urkunden Karls des Großen, 302

(C.) In nomine sanctae et individue trinitatis. Karolus gracia dei rex. Si ea, quae sancta dei ecclesia adquisierit et fideles nostri, confirmaverimus precepto nostrae auctoritatis, idcirco scimus nobis dei misericordiam prestolari et viventes in nostra fidelitate promciores exhibemus. Quocirca noverit omnium optimatum ac nostrorum fidelium sollertia imperii nostri, quoniam venit ad nostre sublimitatis excellentiam Ricbertus venerabilis abbas ex monasterio sancti Eugendi Iurensis in civitate Remis apud sanctum Remigium una cum abate Dottone et comite Adalardo, quos antea direximus ad suum prefatum coenobium ad discernendas et inquirendas rationes, quas ipse habebat et Gedeon archiepiscopus Vosotionensis de cella, in qua corpus beati Lupicini humatum iacet, humitenusque et adcline supplicando petuit cum suis monachis, ut eis concederemus et confirmaremus precepto nostrae auctoritatis rectitudinem, quam se ostendit habere ante nostrorum presentiam legatorum in predicta cella. Cuius petitioni assensum prebentes suam mansuetudinem humilitatemque videntes precipimus, ut nullus dux marchio comes vicecomes vel aliquis ministerialis ipsam cellam subtrahat a iam dicto monasterio sancti Eugendi neque monachis ibidem deo servientibus aliquam molestiam neque damnietatem inferre presumat, sed sicut temporibus priscorum patrum vel sanctorum, ut a multis didicimus, unianimes sive consortes fuerunt in silvis exartandis et terris laborandis, [it]a sint [a] praesenti et [in] futuro socii in prosperis [et in adversis]. Ne ergo aliquis persona ab hac die et deinceps lites inferat monachis de prenominata cella suisque appendiciis, [donamus ad prefatum locum Condatisensem] silvam q[ui] vocatur Iuris a termino Bracioli aque vocabulo Orba et in ipsa contra terminationem Nigri montis, sicut pendet aqua, et in ipsa contra, ubi aqua in foveam intrat, usque in alpes et usque in viam, que venit per mediam Ferriam, sicut aqua currit que vocatur Serronna usque ad Brunum betus et a Brunum bet[us] usque ad Salcimanam et a Salcimana usque ad Betus Nociuum et a Betus Nociuum terciam partem Escalon et sicut ab ipsa iam dicta Orba partibus occidentalibus venitur in calmibus Merrenses vocabulo, usque quo in planiciem perveniatur parrochie Segonciacense. Et ut haec nostre corroborationis auctoritas pleniorum in dei nomine obtineat vigorem, manu propria subter firmavimus et anuli nostri in pressione signamus.

Signum Karoli serenissimi augusti.

Hrodmundus notarius advicem cancellarii recognovi. (SI. D.)

Data XI kal. octobris anno XXII regni Karoli piissimi; actum Remis civitate apud sanctum Remigium.